

Nr. 2 fehlt!

11. Dez. 1954

Gr

30.
29

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**VOTO OBEDIENTIAE
MEDICO,**

Von der geziemenden Folgsamkeit in der Medicin;

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO SENIORE, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, ALUMNORUM REGIORUM
EPHORO SENIORE ORDIN. MEDIC. H. T. DECANO,

FACULT. MEDICÆ SENIORE, DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Præceptore, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDIS,

ANNO MDCCLII. D. APRIL.

HORIS LOCOQUE CONSUEVIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

CHRISTIANUS GOTTHULD STOLZENBERG,

MEGAWENDA - HOHENSTEINENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

30

DISSERTATIO IN AGRUARIIS MEDICIS
DE

VOTO OBEDIENTIAE MEDICORUM

Ab hoc die inchoante sequenti in der Medicin

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

DN. D. MICHAELLE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MADDEB.
CONSILIAIO SENIORI MED. ET PHYS. NATUR. PROFES.
SOLAE PUBLICE ORDIN. ALUMNORUM REGIORUM
EPISTOLO SENIORI ORDIN. MEDIC. & ACADEM.

FACULT. MEDICAE SENIORI DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Dominus Pater, Praeside ac Professor, hoc omni honoris cultu in profectibus

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISSO IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORATUS LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDIS

ANNO MDCCCLII. D. APRIL.

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA VENTILATIONI SUBMITTIT
ET MONSTRAS

CHRISTIANUS GOTTHILD STOLZENBERG

MAGWERIN - HORNSTEINENSIS

HAIM. MADDEBURGICAE
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



PERILLUSTRIS
LIBERÆ AC IMPERIALIS REIPUBLICÆ
MOLHUSINÆ
MODERATORIBUS
VIRIS
MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS AC CONSULTISSIMIS
DOMINIS

CONSULIBUS
SYNDICO
SENIORIBUS
CENSORIBUS
PRÆTORIBUS
ET
SENATORIBUS

RELIQUIS
DOMINIS PATRONIS AC MOE-
CENATIBUS SUIS

SUMMO VENERATIONIS CULTU SUBMISSE PROSEQUENDIS
SPECIMEN HOC INAUGURALE MEDICUM
EA, QUA DECET, OBSERVANTIA

D. D. D.
RESPONDENS
C. G. STOLZENBERG.

VIRI MAGNIFICI,
PATRONI SEMPITERNA ANIMI VENE-
RATIONE PROSEQUENDI,

Gui dignius jureque magis debito stu-
diorum meorum, in arte salutari,
primitias, qualescunque, sacras esse
velim, quemque *VOBIS, VIRI IL-
LUSTRES*, jam quidem anteponam, inter mor-
tales habeo neminem. Ad eam contendo civi-
tatem, quam *VOS Corona optimorum VIRO-
RUM SPLENDIDISSIMA*, cura vigilan-
tiaque paternâ communitis strenue, moderami-
ni prudentissime. Novi amorem *VESTRUM*
in bonas artes, ardoremque de omnibus earum
culto-

cultoribus, optime merendi plane singularem.
Quid mihi propterea solennius, quid antiquius
esse debeat, quam VOBIS, PATRES CON-
SCRIPTI, PATRONI MAGNIFICI non
omnino non probari, VESTRAque omnium
non destitui benevolentia atque Favore. Ne-
que tamen adeo importuno ac male ingenuo sum
animo, ut laudationum lenociniis, aures VE-
STRAS, ad talia generose surdas, delassare
phaleratisque verborum blanditiis benevolentiam
aucupari, inauspicato præsumam. Sed ne
lucem fugere hominisque non sibi soli, sed aliis
quoque nati stationem turpe ac inconsulte de-
relinquere videar: hoc, quidquid est scriptio-
nis, ceu tesseram devotissimæ venerationis,
qua VESTRUM, VIRI ILLUSTRES, Pa-
trocinium atque favorem decentissime efflagito,
propenseque saltim voluntatis rationibus pu-
blicis pro virili inserviendi, VESTRIS NO-
MINIBUS MAGNIFICIS inscribi benevole
largiamini. Et VOBIS haud prorsus displice-
re, VESTROque Patrocinio frui Amplissimo,

¶

& animum & stimulos mihi subministret ardentissimos, omne vitæ punctum omnemque virium, si quas habeo profuturas, usum justissima lance cautiùs ponderandi, ne unquam, quod tantae, **TANTORUM VIRORUM** Auctoritati ac Dignitati, patriæque commodis & hominis ingenui naturæ refragetur atque contrarium sit, in me infeliciter admittam. Extremum potius vitæ halitum cum precibus, pro **VESTRA STATORES** Republicæ **ILLUSTRES, PATRONI MAXIMI** incolumitate & prosperitate exoptatissima Reique publicæ statu florentissimo, profundam conceptissimis.





PROOEMIUM.



Quanta Medicorum, in Republica, bene ordinata, utilitas sit atque necessitas **CHASSANEUS** ex *Beroaldo in Catalog. P. 10. confid.* 43. hisce testatur verbis: *quis nescit medicum ad omnes civitatis ordines, ad omnem sexum, ad omnem aetatem pertinere, cum summatis, infimatis, senibus, pueris, feminis, aegrotare contingat, Et omnes ex hoc utilitatem petant indiscriminatim; meritoque dici potest Medicum rem communem terrarum esse. Et profecto si vera dispicimus, si curiose cuncta perpendimus, sola medicina, soloque medico opus est omnibus. Etenim dum omnes homines post lapsum morbosis invasionibus subjecti sunt, ne sub illis succumbant, almus & benignus Creator medicum ordinavit, variaque media salutaribus & medicamentosis viribus dotavit, quorum congruo usu*

peritus artifex, quippe Minister naturæ humanæ, perniciosas qualitates causarum morbificarum & mortiferarum infringere, extinguere & avertere, sicque ordinem naturalem sublevare & sub eodem cœlestis benedictionis influxu ac directorio vitam & fanitatem confirmare potest. Quemadmodum autem nec Medicus, nec ars medica, nec medicamenta liberam potestatem habent, sed certis, imo strictis legibus, methodis, ordinibus & relationibus subjacent, ita in hoc foro medico pro vicissitudine circumstantiarum interdum imperare licet, aliquando etiam obtemperare decet: hinc BEVEROVICIUS *epist. de vitæ termino* inquit: *Si comparetur medicus ad Deum sit ipsius cooperatus & manus: si ad ægrum, sit imperator: quo pariter pertinet effatum DIOGENES: qui servum habet medicum, illi ut obediat, necesse est: Nam si medicus secundum leges naturæ humanæ, sec. præcepta artis, & sec. relationes remedium operari & hoc officio juvare debet, necesse etiam est, ut mandet, ordinet & instruat, quæ agenda & sollicita obedientia & imitatione perficienda sunt, ut HIPPOCRATIS monitum *Sect. 1. aphor. 1.* observetur: *oportet non modo se ipsum exhibere, quæ oportet facientem, sed etiam ægrum & præsentem, conf. SCHARANDIUS de visendis ægris cap. 1. §. 1.* Singulis hisce videlicet medico, ægrotanti & ministrantibus certa incumbunt officia, mandandi & obtemperandi: hinc PLATO *Lib. 1. de Republ.* ait: *in confesso omnibus est, verum medicum corporum esse principem;* vicissim de medico etiam proficitur DUA-
RENUS*

RENUS in animadvers. c. 54. ægris blandiri & assentiri magnasque eorum non raro molestias devorare, ut ipsis morigerentur, velut quædam vis & necessitas est; non secus ac si Regis tyrannive subessent imperio. Quod ad medicos attinet, quidam eorum interdum ita rigorosi, austeri, in ægros severi, immites & tenaces sunt, ut non CELSI monito Lib. 3. c. 6. obsequantur, quod periti medici sit, non protinus, ut venit apprehendere manu brachium, ad secandam videlicet venam, sed primum residere hilari vultu, percunctarique quemadmodum se habeat, & si quis ejus metus est, eum probabili sermone lenire: eandem regulam etiam PLATO Lib. 5. de Legib. suggerit: Medicus primum doceat & persuadeat, quid sit ægro faciendum, & non prius imperet, ita promptius parebit. Præterea periti medici officium est, si persuasio & adhortatio ægrum monere haud potest, mandatum huic indicet, si salutem & opem expectat & desiderat, ut consiliis bonis annuat, auxilia salubria convenienter adhibeat, sicque in proprium suum commodum obedientiam exerceat: ita PLATO Lib. de Regno & Chrysostomus L. 12. in acta Regis officium medici officio comparabant, nempe ut volentibus ac nolentibus opportune & importune leges ponat remediaque offerat salutaria ad debitum æquilibrium omnia metiatur: quod medicina recte utentis proprium est, quippe quam a medio sic dictam ac dici debere, non a medendo optime infert ISIDORUS Lib. 4. Etymolog. Præterea autem æquum & justum est, ut ægri peritis, officiosis & sollicitis medicis obtemperent, nec eo-

hivl

A 3

rum

rum ingenuis ac salutaribus monitis morose & impatienter renitantur, nec alias regulas præscribant, sec. quas medicus curationem instituere & sub ancipiti spe prosequi debet. Sicut enim juxta effatum XENOPHONTIS III. memorab. & PLUTARCHI q. Roman. 76. *quavis in re parere homines illis maxime volunt, quos existimant esse præstantissimos, ita in morbo potissimum illi parent, quem medicæ rei putant esse peritissimum.* Talis igitur consensus officiorum in foro medico exoptatos promittit fructus & successus, qui conservationi & confirmationi vitæ & sanitatis inter naturalia media & requisita perquam confert: quam acerbè contra obstinati, refractarii, contumaces & morosi ægri medicos torqueant vexentque, frequens usus & casus docet, hinc officium conscientioso ac perito medico perquam græve & molestum redditur: rectius autem *fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, patet oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, secundum sententiam BERNHARDI Serm. de virtute obedientie.* Et ita ars medica suos etiam habet ordines & justas pariter observat subordinaciones; nam si medicus naturæ minister est, ideo salutaribus illius methodis, respectibus & finibus se accommodare debet: hac pertinet assertum ROLFINCKII in *method. general. curand. febr. quidam morbi a sola natura vincuntur: quidam medico cooperante sanantur: nemo servitur, nisi natura separarit morbum; nemo moritur nisi natura sit victa: quem textum*
Frid.

Frid. HOFFMANNUS in method. med. L. 1. c. 6. p. 36.
 ita illustrat: *in curatione morborum natura se non*
habet mere passive, sed etiam active, & hi non egent
medico: interdum ob morbi pervicaciam impeditur &
languet natura, tunc medicus cogitur auxiliatrices
præbere & adhibere manus & manca & inchoata na-
turæ munera explere & perficere: conf. cap. 5. pag. 87.
 ideo Medicus naturæ, rite & dextre operatrici & me-
 dicatrici, obedire, languenti, deficienti, aberranti, &
 delinquenti vicissim leges, modos, functiones & vias
 præscribere debet, ut *GALENUS I. aph. comm. 26.*
Columba de Peste Lib. 2. c. 5. p. 183. monuerunt: in hac
 consideratione ita *LINDENIUS Select. med. XVI.*
§. 1. differit: *Medicus naturæ & artis minister est.*
GALENUS ad I. Epid. II. 51. naturæ quidem, ut prin-
cipis, Artis vero, ut Cancellarii ipsius. Natura quæ
vult, jubet. Ars jussa naturæ excipit & promit at-
que dirigit, ad publicam utilitatem, excipit, conside-
rando indicantia. Promit, inveniendo juvantia. Di-
rigit, inveniendo usum rectum, quæ anima est auxi-
lioram: porro exercit. VII. §. 59. inquit: non errat
ars, in quibus imitatur naturam. Natura quippe
monstratrix agendorum est optima. Artis nostræ
non modo ad imitandum proposita, sed & præposita ad
imperandum. Artis itaque auxilium probum est, si
probatum naturæ. Si enim ab utraque parte medici
& ægri morosi & contumaces sunt & suis saltim sen-
sibus ac opinionibus indulgent & obtemperant, pes-
sime tunc vitæ & sanitati naturali aut conservandæ
aut reparandæ & confirmandæ consulitur, quoniam
 legibus

legibus naturæ, & regulis artis, quæ hisce legibus subjacent, debitum obsequium præstandum est: nam speculationibus & curiosis inventionibus inhærere, iisdemque ordinem naturæ invertere, confundere, perstringere & reprehendere velle, id etiam jus naturæ violat, ab imperio naturæ humanae deficit & officium atque utilitatem artis medicæ corrumpit & destruit; qua de causa etiam de foro medico valet quod generico fere intuitu XENOPHON in *Lacedæm. Republ.* elocutus est: *obedientia summum est in urbe & apud exercitum & in familia bonum est.* Hæc meditatio occasionem causamque nobis obrulic, ut ab officio non recedendo præsentem Inauguralem Specimen OBEDIENTIÆ MEDICÆ VOTUM aut munus indicemus & explicemus; cui proposito, ut cœlestis benedictio ac directio affulgeat, eisdemque prosperos & salubres successus largiatur, est quod in atrio humillimis precibus flagitamus.



obligatio & officium in foro medico ad varia subiecta & negotia se extendit, & sicut hoc munus alia occasione sub titulo, themate & allusione Voti partim *Castitatis*, partim *Jesuivi* explicatum est, ideo Ludov. LUCIUS in *Histor. Jesuit. L. 1. c. 3. s.* refert, quod *Obedientia* tribus Monasticis votis adscribitur: sicut Hugo MONACHUS in *vita Hugonis Abbatis Cluniensis p. 442.* inquit: *quod munia ac officia Monastica, quæ per obedientiam injunguntur OBEDIENTIÆ dicantur, & quicquid Monachis ab Abbate injungitur, obedientia vocatur.*

tur. Hoc obsequium etiam in magno semper fuit honore, præcipue si honorem Dei proximique salutem pro scopo habet: hinc GREGORIUS *Lib. 35. moral. profitetur: obedientia sola virtus est, quæ menti cælestes virtutes inserit, insertasque custodit. Melior est obedientia, quam victimæ: illa his præponitur, quia per victimas aliena curvo, per obedientiam vero voluntas mactatur; quæ si sincera ac Deo & hominibus grata esse debet, testante eodem Patre Eccles. L. 12. l. c. non servili metu, sed obaritatis affectu servanda est, non timore pænæ, sed amore justitiæ: hinc ab ÆSCHYLO in Septem ad Thebas v. 203. (quod drama maximum in ejus Tragediis æstimat Gorgias) mater felicitatis appellatur. Talis obedientia vero non contrariari debet præceptis divinis, quia Deo magis obedire oportet, quam hominibus; nec repugnare debet saluti proximi, nec resistere bonis legibus, utilibus & salutaribus ordinibus, nec bonæ conscientiæ adversari, sed in singulis actionibus pietatem, salutem, honestatem, æquiritatem & integritatem pro norma & cynosura habere, qualis observantiæ cultus Sapientiæ adscribitur, sicut BERNHARDUS in sermone de Epiphania profitetur: Si vis esse sapiens, esto obediens: sic enim scriptum est: concupiscis sapientiam! serva mandata, & dominus dabit tibi illam: PLATO: neque turpe est, neque indignum sapientiæ gratia cuilibet servire & honestis obsequiis unumquemque demereri. SCHARANDÆUS de visendis ægris cap. V. §. 16. quod itaque Deus ordinavit, sive divinis præceptis, sive legibus & ordinibus naturæ, id obedientiam requirit, quæ vero libera, spontanea & prompta, non autem coacta, simulata & malis respectibus corrupta esse debet: Haud etiam in foro medico Monachorum sic*

B dicto-

dictorum *obedientiariorum* sanctiones & specialia præcepta servanda & observanda esse judicamus, sed suis Patribus & fratribus relinquenda esse decernimus, sicut in SALAMANCA tale monasterium *Patrum de observantia* reperitur *vid. Gottfr. ARNOLD* in *Leben der Gläubigen Part. I. p. 51.* inde apud *Pontificios Cellæ, Præposituræ, Grangiar, Cappella, Ecclesiolæ, obedientiar, Monachi obedientiales* fundati & nominati constant. Minus tamen in *religione medica* servilem, cæcam, *coactam* & jugalem agnoscimus aut urgemus obedientiam: sicut igitur in Ecclesia apostolico-Evangelica requiritur *λογική λατρεία*, ita in quolibet cultu & foro *ὑπακοή λογική* necessaria est: & talis non coacta, sed spontanea obedientia non cum dura, *austera*, nimis rigorosa servitute confundenda est, dum glorificationem Dei & proximi salutem pro scopo primario habet: Quoniam porro alio tempore & occasione de Voto Castitatis & jejunii medico actum est, ita placuit hac occasione *tertium* idque *Obedientia* votum annectere. Est itaque nobis *Votum obedientia Medicum obligatio conscientiosa Medici, ægri & ministrantium personarum, saluti ægrotorum prospicientium, qua secundum rationales leges, regulas & indicationes quilibet suo officio ad conservandam, confirmandam & revocandam sanitatem hominis satisfacit: huic etiam muneri fideliter præstando sese mente, verbis & factis obligant & fidem dant.* Ratio igitur, conscientia, æquitas, prudentia & peritia postulant, ut illi, qui *sanitatis* curam habent, officia sua rite exerceant, hinc HOFFMANNUS in *Lexico univers. tit. observantes* refert: *observare apud recentioris ævi scriptores est munia consueta exequi: porro: ap. veteres Romanos rituale fuit verbum, significat*

gnificans cautam illam circumspectionem, quam in Sacris adhibere conveniens est. Quam sacra etiam artis medicæ functio existit, dum adjuvante divina benedictione vitam & sanitatem naturalem s. corporis protegere, conservare & defendere studet, ideo observare & obtemperare debet, ut salubres & dignas regulas artis dextre & circumspecte exerceat & imitetur, nec vagis opinionibus & fallacibus experimentis inhæreat: & quamvis medici quoad res & causas naturales, harumque relationem ad hominem certo respectu leges dare queant, sicut REJES. in Camp. Elyf. juc. qu. 2. n. 18. inquit: solis medicis licet eas pro fanitate præscribere leges, mutare, abrogare, nec aliter suis ipsorum legibus subjæctæ sunt, quin imo tantam habeat excellentiam, ut jurisdictioni suæ legum conditores, Cæsares, Reges, Principesque subjectos esse cogant, quas quidem si transgrediantur, dubium non est, si morborum tormentis exhausti, necem sint obituri, quod perbelle adnotavit PLINIUS (de medicina dicens) & una artium imperatoribus quoque imperat: tamen & ars Medica & Medici certis legibus vicissim subjiciuntur, quas observare, aut quibus obedire justum & æquum est.

§. II.

Hoc igitur *Votum* in foro medico tria Subjecta imprimis obstringit, *Medicum*, quippe artificiosum humanum sanitatis protectorem, defensorem & consiliatorem; deinde *ægrum* aut *valerudinarium*, de cujus vita & sanitate agitur, qui a medico opem & auxilium postulat & expectat: denique qui *externam infirmorum curam* & ministerium quoad regimen & culturam gerunt. Quod autem primo & *principali ordine* ad *Medicum* attinet, tunc

vir conscientiosus, honestus, ingenuus & peritus, cui propter peritiam in arte credendum, sciolis, fallacibus, spinosis, salebrosis & cerebrinis inutiliterque curiosis opinionibus inhærere non debet, nec afflictis ægrotantibus loco perspicuarum veritatum, fumum vendere, aut garrula eloquentia eos decipere, sed pro regula observare, quod præcepto quodam P. ZACCHIAS *Consil. 40. n. 3.* professus est, *Medicus tenetur in medendo sequi sententias certas ac securas, neque mederi potest secundum particularium medicorum hæreses potius, quam opiniones.* Etenim bonum medicum decet simplicem rectumve ordinem naturæ cognitione & imitatione sequi: in quantum enim totus processus & æconomia vitæ & sanitatis simplicissimis admodum, ordinatis & evidentibus affectionibus & regulis prædita & comprehensa est, in eo etiam huic ordini naturæ, divinitus instituto, artifex, ingenua imitatione obtemperare debet, ne seditiosa temeritate ludicris & futilibus curiositatibus, fictionibus, imaginationibus & confusis applicationibus atque conciliationibus artem naturæ præferat, aut obrudat, satis enim emphatice hanc naturæ dexteritatem deprædicat LINDEN. *Select. Medic. Exerc. 15. §. 143. 145.* si materia a corporis constitutione aliena vel quantitate gravet naturam, vel qualitate irritet, ipsa natura sibi admirabili potius, quam explicabili, ratione viam invenit, qua inimicam materiam expellat; quam in tempore expelli, signum naturæ valentis est & invigilantis suæ conservationi. Sane nunquam natura hos motus insolitos moliretur, nisi & sentiret (sensu videlicet vitali) alienæ materiæ hostilem vim & sciret quamquam inerudite, facere tamen, quæ oportet VI. *Epid. V. 2.* quæ etsi faciat non ex intelligentia, ita facit tamen

tamen, ut etiam arti palmam præcipiat; Dura hæc locutio sciolis ingeniis videri potest, quæ tamen ad lapidem veritatis lydium probata, certa & sincera est: Ne autem Naturæ significatus pomum eridis constituat & opponat, suffecerit medicæ disquisitioni commendare *exquisitam æconomiam motuum*, sub qua corpus humanum, quippe valde fragilis & corruptibilis machina, per multos annos, imo ad & ultra Seculum *salvum* & incolume servari potest, ita ut nonnulli inevitabiles & accidentales perniciosi effectus, qui ab iisdem moribus proveniunt, velut a continuo motu *progressivo* humorum, ab actione *solidarum partium constrictoria*, a motu perpetuo *respiratorio*, ab *intestino* motu fluidarum partium, *reliquo ordine & modamine* ita vicillim *coerceantur* & immutentur, ne *letbiferum* successum & eventum causentur: hinc idem LINDENIUS l. c. exerc. 7. ff. 17. p. 187. seq. inquit: *natura dignior ejusque cura optabilior atque opera præstantior est: ars vero non aliam sibi vindicare potest laudem, quam OBSEQUII prompti & ministerii fidelis: addit porro: quamvis natura sit morborum medicus, non semper tamen quod faciendum est, ea sola potest: quin & cum spes est posse, præstat tamen juvare: artifex instruitur & FUBETUR (quare obsequi debet) suum agere: non est artificis negotium omne in naturam rejicere, & interea agrotantem in incerto habere. Medico laboranti natura allaborat & benedicit labori Deus, largitor artis & auctor naturæ: quare juxta BARTHOLINUM de sanguine vetito pag. 14. illi medici, qui hunc medicinæ authorem & salutare naturæ operationes imitantur non culpandi sunt, sed qui deserunt: necesse igitur est, ut prius medicus salutaria talia naturæ officia sibi*

B 3 cogni-

cognita reddat, eademque a *turbulentis*, *perverſis* & *erro-
neis* actionibus discernat, *has* vero *perito* ministerio corri-
gat & ordinet, *illis* autem *prudenti obedientia* & *imitatio-
ne* inferviat, & ita suum cuique *ingenue* & *judicioſe* tri-
buat & largiatur.

§. III.

Arcanum igitur principium in foro medico est, non
solum *generales* naturæ humanæ motus, ordines, proces-
sus & directoria nosse, quibus *œconomiam* sanitatis & in-
struit & administrat, ut & *extraordinem* in *certis* morbo-
rum *schematibus mutatis* motuum gradibus, destinatio-
nibus, ductibus, applicationibus, horumque connexis effe-
ctibus *causam morbificam* perniciosam coerces, alterat,
præparat & remover, hinc *amissam* sanitatem restituit, vi-
tam *vacillantem* erigit roboratque, sed & *individuales*
modos, mores, consuetudines, tramites, vires, respectus &
functiones observare, judicioſe connectere ad alia conve-
nienter referre, & ubi *circumstantiæ* & *affectiones* indi-
cant & permittunt *ſollicite* & *perite imitari*, ac ita *huic*
ſalutari ordini prudentem obedientiam præſtare, nec *con-
tumaci* ſuo ingenio *alieno*, *adverſo*, *inſecuro*, ſi non plane
contrario aſu & niſu indulgere, eo ipſo autem *ſalutares*
ab *inſalubribus* & *perverſis* moribus & affectionibus di-
ſcernere, *poſteriores* *meliori* modo *emendare*, *priores* hac
perita obtemperantia proſequi, *promovere* & *adjuvare*,
hocque modo ſeſe ut *dignum naturæ miniſtrum* præbere
debet: inde oriuntur illa communia medicorum elogia, ſiſt
einem Medico vertrauen, der eines ſeine Natur ſchon kenne.
Attamen iterum medicus non duræ ſit cervicis, ſed GA-
LENI & COLUMBÆ monito, illius *J. apbor. com. 20.* hujus
L. de

L. de Peste II. c. 5. p. 183. obedire debet, ne *promiscue* naturam imiretur; Sic judiciosus medicus utrique parti additus sit, ut modo *naturæ inserviat*, modo *salutaribus artis præceptis obsequiose* pro discrepantia circumstantiarum operam det, nec obstinatis suis opinionibus pervicaciter defixus & mancipatus insistat, & vel *nimum* naturæ viribus tribuendo ac *indiscriminatim* ejus actiones concelebrando, *artis vicissim necessitatem* & utilitatem contemnendo, & reprehendendo, vel hanc *artem nimis* extollendo, *ordinem naturalem*, divinitus institutum & confirmarum, *pervertat*, destruat, imo plane opprimat; licet multis memorabilibus exemplis, testimoniis & casibus judiciosi & periti medici *singularia* naturæ opera in æconomia vitali *eximiis* efferant laudibus, qualia cæteroquin sciola & ingeniosa phantasia nec ab alia causa derivare, nec ab artis, alioquin exercitatissimæ, potestate deducere potest: Boni igitur medici officium est, & *naturæ & artis salutaris*, securos & rationales *processus* ac methodos scrutari, inquirere, dijudicare & *prudenti obsequio* imitari: talia vero *naturæ rerum sacra arcana*, ut *SENECA Lib. V. quæst.* confitetur, *non promiscue & omnibus patent: reducta & interiori sunt clausa sacrario*, & quod *REJES. in Campo Elys. juc. quæst. 58. num. 1.* professus est: *cum homo potissimum sit naturæ miraculum, in illo magis quam in cæteris animantibus admirandæ suæ potentie & omnem fidem superantia opera exhibet, ut sic magis tanquam in subiecto nobiliori elucescant*: hinc in variis casibus illud valet, quod *MASSARIAS cap. de Cholera*, ex *LIVIO* refert: *optimos imperatores & doctissimos medicos sæpe numero nihil agendo plurimum proficere, illos de hostibus, hos de morbis*

morbus insignes reportare victorias. Equis non hodie-
nos mores valde miretur! quibus *ordines naturæ*, antiqui-
tus agniti & probati, nunc velut *vetustate* exoleti, ac res &
opinio trita sordent, & *novæ curiosæ* excogitationes ac spe-
culationes præferuntur, *liberè* ac simplices naturæ ordines
opprimuntur, *novæ* artis regulæ ac methodi *sec. varietatem*
opinionum supponuntur, sicque *Medicina* vel *naturalis* vel
artificialis specioso censuræ & reformationis titulo *con-*
vertitur, sub quo confuso statu nec rationale directorium,
nec *sincerum & judiciosum obsequium* in foro medico lo-
cum inveniunt, e quali permissione scientiarum, discipli-
narum, figmentorum, speculationum & opinionum tur-
bulentum oritur chaos, quod ad rhombum medicum pla-
ne non spectat. Hinc *prudens* medicus *non omnia* ad *su-*
am referat arbitrium, nec vires, consuetudines & ordines
individuales afflictorum *subjectorum suo genio* mancipet,
coerceat atque cogat, sed *prudenter* illis *obtemperet*, cir-
cumspècte eos dirigat & ad *salutarem* effectum atque e-
ventum ducat, *promoveat*, seque quippe fidum naturæ
ministrum præbeat, ne more *Medicinæ præstigatoria*
& *saluatoria* eiter neuten *Galanterie und Capriolen* *Medicin*
magis in viscera hominum grassetur & *perniciosa experi-*
menta per mortes faciat.

§. IV.

Quod *judiciosus* medicus *salutares Naturæ* opera-
tiones *sequi* & imitari debeat, antiquissimorum medico-
rum *arcanum*, præceptum & argumentum fuit, quo spe-
ctat *Zacut. LUSITANI* testimonium in *introitu ad Praxin*
præc. 30. 39. quare de natura sciat Medicus, inquit, *summus*
HIPP. Lib. de veteri Medicina: omni studio amittatur, ut
cogno-

cognoscat, si modo aliquid eorum, quæ fieri debent, recte præstare velit, quia naturæ scientia est medico necessaria, naturæque motum animadvertat, & si is bonus sit eum juvet, ut consulit GALENUS I. aph. 2. & eam recte operantem imitetur ut I. aph. 2. GALENUS confirmat. Hanc igitur cynosuram condigne medicis, qui non ventosis fabulis & ineptis speculationibus decipi malunt, commendat SCHELLHAMERUS tract. de Natura sibi & medicis vindicata P. 1. quam dextre, assidue & circumspicte prudentes & periti medici salutaris naturæ motus imitari, prosequi iisdemque obedire debeant: huc quadrat CAMERARII effatum in Syllog. memorab. Cent. 1. part. 43. fidelis naturæ minister intima ejus secreta rimatur: nihil enim medicus solus potest, natura est illa, imo Deus qui agit, & medicus minister magni hujus Domini. Præclare itaque a Vido Vidio dictum: medici plures sanarent, si se naturæ ministros esse agnoscerent: conf. LINDEN select. Medic. exerc. XVI. §. 1. ROLFINCK. conf. med. L. 2. conf. 8. p. 706. Rod. a CASTRO Med. Pol. p. 99. Zac. LUSIT. M. P. H. L. 1. hist. 64. comment. & introit. ad Pr. præc. 39. & præc. 61. addimus hoc loco quæ Act. Erud. Lips. An. 1729. Mens. Junio p. 267. referunt e discursu de febb. Londini edito Epist. 1. hisce verbis: author omnes hypotbeses & theorias tam physicas, quam mechanicas tanquam vanas atque deludentes in Medicina adhibendas dissuadet. Hanc enim esse causam, quo minus ad altius evecta sit Medicina, existimat, quod veterum manuductionem neglexerint, atque contentui babuerint recentiores, libidine novarum hypotbesium atque Systematum excogitandorum occæcati: hinc indicationes curativas non petendas esse addit à commentis ejusmodi, quæ observationibus

bus non respondent, & experientiae potius contrariae sunt. --
Practicos potius monet, ut naturam ducem sequantur, bu-
jusque dispositiones, motus & tendentias advertant; lauda-
biles conatus promoveant, erroneos vero corrigant. Hoc
judicium sive quibusdam placeat, s. aliis displiceat, perin-
de nobis erit. Haud vero propterea novas quasdam
contemplationes, quae antiquas veritates illustrant & con-
firmant, negligimus, aut contemnimus, sed cum RAMAZ-
ZINI orat. 6. p. 76. prudenter combinandas esse judicamus,
Quoad singulas igitur considerationes medicus dignus
perspicuitatem & rationalem simplicitatem observer, jux-
ta P. ZACCHIAE monitum Consil. 40. n. 3. Medicus tenetur
sequi in medendo sententias certas & securas, nec mederi
potest secundum alienas particularium medicorum haereses
potius, quam opiniones. Praeterea obedientiae Medicum
obligat, intuitu remediorum simplicium, quorum proprias
vires & proprietates nec fugacibus & nugacibus specula-
tionibus, nec fallacibus experimentis mutare, adulterare
variaque ignis tortura corrumpere, sed concreata sua
facultate ingenue iis uti & ad salutare effectus illa profe-
qui debet; siquidem uberrima experientia probatum est,
quantam praerogativam respectu salubritatis plurima sim-
plicia praer multis, si non plurimis, arte scrupulosa factis
teneant: ob id in hoc etiam momento medici ordini na-
turali obtemperant; ast quoniam remedia non absolute &
indiscreto usu juvant, ita suo officio medicus convenien-
tem relationem & artificiosam applicationem conciliet,
quo salubris eorum effectus impetretur; nec vicissim pru-
dens talis medicus servum aut mancipium se praebat cer-
ta remedia, splendidis titulis gloriosa, velut bezoardica,
cordi-

cordialia, balsamica, solaria, vitalia &c. *cæca obedientia*, præoccupata confidentia, si non privato commodo ordinare, commendare & per mangonicos emissarios & nundinatores, velut ærarios refectores, venditare: unde *bonesta* Medicina in *fraudentam* convertitur *Empiriam*: talibus igitur, qui ampullas projiciunt & sesquipedalia verba de cistulis suis pharmaceuticis occinunt, vel libellis commentariis, furtivo interdum dolo, emittunt, *fugiendi* relictus, quam honesta imitatione excipiendi sunt. Hoc factu probi, honesti & sinceri medici & Deo, tanquam auctori, conservatori ac tutori Naturæ & ipsi Naturæ, quippe univervo Systemati, sub speciali directorio operoso, & ad salubres usus & effectus referendo rationalem & ingenuam obedientiam præstat.

§. V.

Præter hæc Medicus conscientiosus *justis*, bonis & salutaribus *legibus*, *ordinibus* & statutis *Provincialibus* strictam præstare debet *obedientiam*, ne *fraudenta* prævaricatione *privatum* quidem suum commodum promoveat, *aliorum* vicissim emolumenta *minuat*, corrumpat & decipiat: quare non in *aliena* castra migrare, *aliorum* medicorum *propria* inventa & usitata remedia *mutilata*, aut *mutata* imitatione in *damnum* alterius nequitiose conficere & dispensare, sed in *honestis*, & *justa* sphæra operari & ita *Deo*, *conscientiæ* & *legibus* obsequi debet. Porro Medicus nec *rigorosum* semper, nec *conniventem* & placidum quovis tempore se gerat, sicut RIEDLINUS *Lin. Med. An. 3. Decembr. obs. 24. p. 895.* monet, attamen ægris nonnunquam obsequi debet, si præcipue fuerint *morosi*, *obstinati*, *immorigeri*, *pertinaces*, *refractarii*, *imaginarii*, nimis *sensibiles*

fibiles, quibus medicus *prudenter* indulgeat, ne eosdem ad certa medicamina, regimina, formulas *severo & austero*, jugo & *mandato* cogat; sed vel *placida & modesta* persuasione ad *leniorem & benigniorem* sensum & *nutum* disponat, vel *alium* processum feligat & *substituat*: sic sæpe occurrunt ægotantes, qui *V. Snem*, *clysterum* usum, *pilulas*, pulveres, aquas destillatas, certos *sapores*, odores, &c. valde *aversantur* & abominantur, quibus moribus periti & circumspecti medici, utique *obsequi* debent aliaque adminicula subordinare & offerre possunt, ne alia media, *pervacaciter* oblata & *obtrusa*, *contrarios* & *perniciosos* edant effectus. Non levis enim in Praxi medica *error* est, quando quidam *suis usitatis* formulis ita *tenaciter* insistant, ut *alia*, æque probata, auxilia postponent, & *præjudicium* interdum *nimix confidentiæ*, intuitu *propriorum suorum* inventorum, vel *nimix auctoritatis* erga remedia hujus vel alterius medici committant, cum *aliorum* fidis & *peritis* observationibus *prudenti* auscultatione æque locum concedere ac rationalem & *obsequiosam* imitationem præstare debeant. Quod ad *Consultationes* meditas attinet, tunc *conscientiosus* & *sincerus* medicus *desiderio ægotantium* obedire, nec eos *alia* persuasione ac securitate inde *avertere*, nec in *aliam* voluntatem abducere, sed *aliorum* peritorum virorum consilia & judicia admittere, iisdemque si rationi & experientiæ respondent, *obtemperare* suisque consultationibus *associare* & *combinare* debet: nam *prodest audire bene moventem*, velut tragicus ille Atheniensis Poëta SOPHOCLES in *Antigona* v. 2043. testatur: quare tales *salutarium* consultationum *osores* *severo elencho* & *justa reprehensione* prosequitur
Rod.

Rod. a CASTRO *Med. Polit.* 3. c. 20. p. 184. *illi sunt ambitiosi aut avari, qui malunt, ut aeger pereat in ipsorum manibus, quam ut altero accersito liberetur; vel quia ut dici solet, canis non amat socium in culina; vel quia, quicquid ipsi non fecerint, solent arguere, & omnia vituperare, quae ignorant, nec quicquam rectum putant, quod ipsi non fecerint, aut facere norint: adeo semper sui capitis, ut sint inimici consilio etiam saniori, quod non ipsi dederint: conf. Zac. LUSIT. intr. ad Prax. praec. 8. & praec. 20. cui inscriptio: Medicus amet consultationes: inquit: Medicorum consultatio magni semper fuit ad curationem momenti: sic enim aegri praecceptis medicorum redduntur obedientes, & si forte mors adveniat, nullus illorum calumniam incurret, & quod plus est aeger citius curatur, BOHNIUS de Off. Med. dupl. P. I. cap. 3. p. 115. 107. REJES. Camp. Elyf. juc. qu. 10. ROEFLINCK. conf. med. L. 1. Sect. 1 c. 2. p. 4. c. 3. p. 6. c. 3. p. 8. In consultatione vero prudens medicus placidus sit, conclusionibus & decisionibus non morose & imperiose resistat, salutaribus consiliis annuat, iisque adhibendis, dirigendis & exequendis ingenuam operam & rationalem obedientiam praestet, seque placidum, moderatum, concordem animoque conjunctum gerat, haud vero bonis admonitionibus asperum, repugnantem & praeractum, insuper aliis odiosum & intolerabilem se praebat: eo ipso autem autem & afflictis aegris, & sinceræ conscientiae & bonæ causæ jure meritoque morem gerit: absit vero a probo & honesto medico, ut in arduis & periculosis casibus sibi solum sapiat, suis viribus indulgeat, suam opinionem mordicus teneat, aut sensibus suis obsequatur. Tales igitur officiosæ, humanæ, placidæ benevolæ & obsequiosæ*

consultationes veritatem, certitudinem, securitatem, auctoritatem & sinceritatem Medicinæ valde adjuvant & confirmant.

§. VI.

Nec *ægrî* propterea *sibi* arrogant, medicis *strictas* leges præscribere, aut *morose* dominari, ut ad *suam* opinionem, voluntatem, imaginationem, nutum & delectamentum *cito*, tuto & jucunde curationes suas instituant, instruant & perficiant: ob id ipsi vicissim leges & *obligationem obedientiæ* attendant, observent & exerçant, neque *salutaribus* consultatoribus & monitoribus *morosos* & *asperos* sese præbeant. Quando igitur nonnulli homines, *vivaci* ac *robusta* corporis structura præditi, *vacillantem* valetudinem sentiunt, attamen de vita sua scrupulose, molli-ter, anxii & dubii sunt, ac solliciti, proptereaque medicum peritum prudentem & ingenuum, de *terriculamento* *mortis* consulunt, qui explorato statu querelæ indicat vix positivis ac strictis regulis, præceptis & remediis artificiosis opus esse, sed potius *animo tranquillo*, ab *anxiis* curis & impatientibus affectibus libero, continentia & congrua *requie corporis*, diæta modica & temperata &c. se quietate debere; hinc *istiusmodi* valetudinarii monitis talibus bona fiducia obtemperent, annuantve, nec aut *vagis domesticis* experimentis, nec *variis* & multis medicaminibus, nec aliis *dissentientibus* consiliis, *methodis* & mediis se mancipient & concredant, hocque modo moderatas, ordinatas, firmas ac liberas suas vires naturales non in *erro- neos* tramites inducant, seducant, corrumpant & emolliant, ut propterea *melius* sanitati suæ consuluerint & prospexerint, si primis, & prædictis monitis obedientiam præsti-

præstiterint: huc quadrat REJESII testimonium qu. 8. n. 4. illorum agrorum obedientiam requirit, HIPPOCRATES, absque qua millies perire & in maxima venire discrimina quotidiana docet experientia & apertius libro de Medico, dum ita loquitur: Nam cum in omnibus rebus multum sit in justitia præsidii, tum vero medico cum ægris non parum est commercii, dum se ipsos illi subditos faciunt. Hac ratione jubet GALENUS illos in omnibus medico obedire, nilque ex intemperantia delinquere; obedire enim quid est? nisi medici arbitrio & mandatis obtemperare & illius subesse imperio; qui enim contra agit, perditur, ut inquit Palladius Sopbista. Socrates etiam apud Stobæum, quantum hoc deceat satis monet: æger, inquit, obediens medico morbo efficitur hostis & medico socius, contra vero si jussis non obediatur, conf. pl. REJESIUS. Præterea quidam ægri pro ratione & conditione morborum moniti, ne multitudine & varietate remediorum se onerent & confundant, indeque verum genium illorum morborum turbent ac pervertant, huic consilio patienter & tranquille obsequi debent, ne populari præjudicio seducti quaquaversum auxilia conquirant, ex multis multam opem sperent, in varietate celebriorem medelam sibi promittant, adeoque imprudentia, impatientia, præcipitantia & audacia sua e minori & leniori periculo in majus & gravius ruant, hinc morosam suam inobedientiam sero deplorare debeant, quoniam multitudo specialis remedii veram & salubrem ejus efficaciam atque operationem respectu alterius, confestim oblata & ingurgitata, impedit & destruit; quod etiam de varietate remediorum sentiendum est, dum aliud utilitatem alterius vitiat & corrumpit: eines verdirbt das andere:
was

was eines gut macht, verderbet das andere. Porro ægri moderati medico sincero & perito obsequiosum morem gerant, si admoniti fuerant, ut *decursum morbi patienter ferant*, nec medico tempus, diem, horam & moram *præscribant*, quando & quo usque ab hoc morbo liberatos se videre & experiri volunt, neve austere, iracunde & impatienter bonum artificem *cogant*, præcipitent, eidemque nihil molestiæ adspergant, aut cum tædio fatigent, ut vel officio suo se *abdicet*, ne conscientiam suam violet, aut scientiam & peritiam suam *ignominia* exponat, vel absque *simulatione* damnum & periculum ægro indicet, si voluntati & mandato suo morose & tenaciter insistit; (hinc *Præfagia & Medicum ab omni mortis culpa reddunt immunem & ægros ad obtemperandum faciles, occasionemque remediorum præmonstrant*, dixit GALENUS *vid. SCHARANDÆUS de vitendis ægris c. 9. ff. 2.*) rectius vero rationem, persuasionem & consilium medici sui obtemperanter admitrat & accipiat, suæ opinioni & impatientiæ renunciet & curam suæ sanitatis *huic soli* committat & relinquat, qui statum morbi optime intelligit & de actionibus suis Deo, conscientiæ suæ, aliisque probis hominibus rationem reddere debet.

§. VII.

Sicut nonnulli ægrotantes cito curari volunt, nec congrua & opportuna tempora morborum expectant & perdurant, welche ihre Krankheit nicht ab- und auswarten wollen, sic alii, præcipue qui pansophiam aut scrupulosam & sciolam eruditionem affectant, modum & methodum medendi argutiis suis prosequuntur, qui vero peritis medicis quieto, tranquillo & confidente animo obtemperant,

parant, nec suas opiniones, præsumptiones & præjudicia talium medicorum solidæ & sollicitæ curæ immiscent, eo- que ipso *totum* processum *corrumpunt* & confundunt: qui contra sanitati suæ melius consulunt, eorum medico- rum dexteritati obsequenter se submitrunt imperataque faciunt, haud vero a tergo & clanculum *alia* minusque convenientia consilia & auxilia, præcipue a sciolis sibi que sapientibus loquacibus mulierculis in aurem dicta usurpant. Si periti medici ægrotantibus *congrua* remedia ordinant, insuperque *justum* modum, ordinem, methodum & tem- pus indicant & præscribunt, quomodo illis uti convenit, tunc non in *libero* arbitrio ægrorum positum est, pro *lu- bitu suo* eadem adhibere, si a morbis liberari volunt, sed medici monitis & præceptis absolute obtemperandum est, si ejusdem *salutaris* scopus ac sollicita cura salutarem eventum acquirere debet; si contra morosi, impatientes & *immoderati* ægroti bonis consiliis resistunt, ac remediis *absolutam* & promiscuam vim medicamentosam affingunt, quasi *indiscreto* usu juvare queant, eademque pro *arbitrio* suo usurpant, tunc hac morosa *inobedientia* sibi met ipsis damnum inferunt ac boni medici spem fallunt, bonaque officia turbant, suaque culpa pervertunt: inde accidit, ut præsentis morbi aut *prolongentur*, aut *exacerbentur*, aut firmiores ac tenaciores radices acquirant, aut aliis affli- ctionum speciebus complicentur: hinc SCHARANDÆUS scribit: *de visendis ægris c. 15. qu. 2. si æger aut assistentes non obediunt, severius medicus imperabit, ut jussa promptius & diligentius fiant qui cap. 10. §. 2. inobedientiam ægri accusat, cur morbi quidam curatu difficiliore fiant. In eo Medico præcipue elaborandum est, ut sibi comparet ægro- tantis obedientiam. Quo enim modo ægrum persanabit,*

D

vise

nisi eum obtemperantem & obedientem habuerit. *Joh. Ant. siccus de optimo Medico*: porro: graves plerique morbi perimunt ægros minus obtemperantes: idem: porro: ægrum proinde adhortabitur, ut præceptis obtemperet, præmissa igitur decenti quapiam præfatione, proponet illud Hippocratis, non solum esse necessarium, ut medicus opportune expleat munus suum, sed tum æger ipse, tum etiam assidentes. Quoniam etiam nulla curatio medica absque conveniente regimine perfici potest, ideo salutarem auxiliorum operationem impediendo repugnantes ægri præfractio animo alium regiminis ac diætæ modum & morem, præscriptæ medendi methodo contrariantem, arripiunt & observant suoque vitio atque culpa pereunt. Si quidam ægri credulo & superstitioso animo arcanis sic dictis compositionibus, Panaceis, specificis, gloriosis, splendidis ac magnificis titulis & præconiis exornatis præparatis confidunt, eademque clanculum, præter reliqua fida ac probata media, a digno medico ordinata, ingerunt, & hoc ausu medici ingenuam curam & cautionem fallunt, hacque non obediens morositate bonum rerum successum intercipiunt & pervertunt, posthac vero culpam inobediens suæ contrariorum eventuum tolerantia luere debent. Eximium pariter damnum, si non plane præmaturam mortem sibi morosi ægri sua inobediens arcessunt, si medici urgente necessitate specialia auxilia, a quibus extemporanea opitulatio expectatur, præcipiunt, v. gr. V. Snem, clysterum applicationem &c. quæ vero ægroti summopere, vel ob timorem vel pudorem, aversantur, nec ullis, optimis cæteroquin, adhortationibus & persuasionibus obedientem nutum præbent, sed juxta quorundam odiosam enunciationem emori malunt, quam istiusmodi adminiculo

lo se submittere, illos merito *obstinata* inobediendiæ arguere licet. Dantur etiam quidam ægrotantes, præcipue febribus *intermittentibus*, *hectica*, hydrope &c. laborantes, qui quoad certas *esculentorum* species medici grave & strictum *interdictum* respuunt, sed pravo seductorio & licentioso magis obtemperant & indulgent appetitui, indeque genio morbi sui pingue largiuntur, pabulum, quorum gulosus venter auscultantibus caret auribus. Nec minor obedientia ab ægrotantibus requiritur quoad *speciem*, formam & quantitatem remediorum, quæ ipsis proficua & necessaria esse judicantur: in quo requisito & illi peccant, quibus vel species medicamenti haud ad *palatum* est, vel qui *contra formam* multa excipiunt, vel qui ex *imaginarïa* averfatione, aut *plebeja* & insatiabili opinione quoad quantitatem aut *deficiunt*, sie könnten nicht viel vertragen, es greife sie leicht und stark an, vel *excedunt*, sie hätten eine harte Natur, viel helfe viel: hinc prævaricatores legum & regularum artis medicæ vix excusandam inobediendam medicam committunt, quæ rationalem & salutarem morborum curationem impediunt & invertunt.

§. VIII.

Eorum denique, cujuscunque *sexus* fuerint, mentio facienda erit, qui officia & *ministeria* curatoria ægris præstant, qui *vario* modo prosperum & *salutarem* decursum & eventum morborum sufflaminare & intercipere possunt; ad hoc evitandum vel ipsi a peritis medicis sollicite indagent, quæcunque in qualibet morbi specie ipsi observanda & peragenda veniant, quæ deinde accurate & strictè exequi & conficere debent, ne vel *indulgentia* quadam & supervacanea *commiseratione* præjudiciosa quædam & perniciosa aut *tentamina*, aut *intermissiones*

concedant, quæ medici curam & præcepta corrumpere possunt: si v.g. *domestica*, minus congrua, media supponunt, quæ probatorum auxiliorum salutarem effectum confundunt & perturbant, vel si ab *aliis clandestina* confilia & auxilia colligant & ægros in eorum usum adducunt, si *empirica alia* media miris encomiis commendant eaque prope alia, rite ordinata, obtrudunt; si ægro ad urgentem *æstum* mitigandum, ad *dolores* sedandos, ad *agrypniam* emendam, ad *appetitum* promovendum, ad *vires* roborandas, ad *ventriculum* confortandum, ad *capitis dolores* minuendos, ad *cor* roborandum, ad *pulsus* confirmandos, ad *membra extrema* refocillanda, ad *oculorum* aciem promovendam, ad *morbosum* & depravatam *gustum* corrigendum, ad *languorem cordis* reficiendum, ad *siccitatem oris* leniendam, ad *nimiam sitim* demulcendam ad multa *alia symptomata* placanda, *varia* experimenta insufurrant, *minusve* secundis successibus usurpant, eo ipso autem *radicem* morbi *negligendo* & exacerbando ægris magis *obsunt* bonique medici *salutarem* methodum perturbant, ut nonnunquam ægri, qui *salvari* potuerant, ob *perniciosa* illa tentamina succumbant, ac culpa *sinistri* exitus, nec in medicum, nec in morbum, nec in ægrum, sed in *perversa* talia officia conjici debeat: & quoniam *officiosa*, tales *ministrantes* mulierculæ, aut vetulæ *parabolæ* variis *artificiis* pharmaceuticis & diæreticis turgent, ita *indiscreto* usu ut plurimum *incongruo* & inopportuno, modo *hoc*, modo *aliud* audent, communiter vero *infaustum* periculum faciunt. *Trifariam* igitur *parabolani* suo officio errant, vel *deficiendo*, aut voluntati ægrorum *indulgendo*, connivendo, *blandiendo*, iisque se commendando, ut modo dictum fuit, dum *talìa* admittunt & committunt, quæ *medicorum* confi-

liis

liis & auxiliis *contrariantur*, ideoque *salutares* remediorum operationes *turbant*; vel *excedendo*, dum regimen *nimis rigorosum* observant & *injungunt*: v. g. sub febrili æstu, aut purpura febrili *externum* calorem in valetudinariis *augendo*, vel *potulenta calida* obrudendo, adeoque *præsentem* æstum magis *exacerbando*, vel superstitioso metu, ne motus & genius febrilis cum potulentis *augeatur* & *nutriatur*; vel ordinata remedia aut *crebriori* repetitione, aut *largiori* exhibitione, *contra* medici præscriptionem sub spe & *persuasione citioris* & certioris adjumenti, *multiplicando*, vel *stricto, rigorofo* & acerbo regimine ægrum cogendo, angendo, cruciando & enervando: vel ægros ad certa opera, negotia & experimenta adigendo & adstringendo, quæ in eorum *viribus* *haud* posita sunt, sub persuasione, ne morborum dominio se penitus subjiciant, sie sollten der Krankheit nicht so nachgeben, sollten sich nicht so zärtlich halten, sollten sich über Vermögen aufmachen &c. Denique *in eo* peccant, dum ægrotantibus *consilia clandestina*, minus consultata, necessaria & utilia suggerunt, quæ *præsenti* morbo, magis ob-quam profunt: dum *credulis*, & de vita sua nimis sollicitis & anxiiis ægrotantibus plane *alios* curandi modos, ordines & *metodos insusurrant*, dum de medicorum ordinariorum consiliis & auxiliis *sciote* & frivole judicant, *alios* medicos & medicastro præferunt & commendant; dum *particularia* eaque *æquivoca* ac *fallacia* experimentaria ad usus *universales* & promiscuos prædicant ac *popularibus* encomiis, garrularum & superstitiosarum vetularum more, ornant, eo ipso autem ægros magis *decipiunt*, quam reficiunt: quibus aliisque modis *salutaribus* medicis præceptis *minus* necessariam obedientiam præstant, hacque temeraria ac frivola *inobedientia* boni medici officia sup-

primunt & destruant, ut non raro sinister & funestus morborum eventus istiusmodi crassis erroribus merito adscribi debeat. Et hac succincta annotatione indicare placuit, quæ intuitu observantiæ, in foro medico præstandæ, pro salute afflictorum ægrorum in congruum usum duci debeant: hunc præsentem igitur laborem ut cælestis bonitas ad ingenuam imitationem dirigat, nostri voti scopus est atque

F I N I S.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

Εὐχαρίαν precatur

P R Æ S E S.

QUam sollicita & operosa inter Criticos præcipue medicos, aliosque, qui istis bene cupiunt, eruditos occurat interpretatio, durioris, ut videtur, diæterii *SENECÆ Lib. 6. de Benefic. cap. 16. nil amplius medico debeo, quia me non tanquam amicum vidit, sed tanquam imperatorem*, haud sedulis scrutatoribus ignotum esse potest; hinc ex imperante modo intemperantem, mox implorantem, aliter impetrantem, denique invocantem convertunt, quin rectius Medicum in ægrotum imperatorem constituunt, ad HIPPOCRATIS auctoritatem provocantes *Lib. de Medico: cum in omnibus rebus multum sit in justitia præsidii, tum vero Medico cum agris non parum est commercii, dum se ipsos illi subditos faciunt: quo pertinet GALENI assensus, qui in expos. ad VI. Epidem. Sect. 4. text. 8. & 9. illos jubet in omnibus medico obedire, nihilque ex intemperantia delinquere; obedire enim quid est, nisi medicis arbitrio & mandatis obtemperare & illius subesse imperio; qui enim e contra agit, perditur, ut inquit PALLADIUS Sophista & Lib. VI. de morb. vulg. comment. 2. text. 43. inquit: periculosi morbi multos ægros occidunt, medicis morem haud gerentes, ab hac autem limitanda ac justa obedientia abesse debet omnis arrogantia & adulatio, ne plus officii & obsequii medico tribuatur, quam conservatio ægrotantis admittit & cum conscientia,*

tia, prudentia, æquitate & peritia artificis convenit: in quantum
autem ægri salutaribus præceptis, monitis & consiliis tranquillo
ac libenti animo obtemperare & annuere debent, in eo Medici
prudentes non fastuoso, auctero, rigoroso & immiti affectu & do-
minio vicissim ægrotantium afflictio ac sensibili animo abuti, sed
quantum citra eorum damnum fieri potest, illis versa vice juxta
regulas moralitatis, & naturalis obligationis erga afflictum ac in
angustias redactum proximum benignum gerat mortem. Maxi-
me autem illud obsequiosum officium exerceat Medicus, quo sa-
lutares artis regulas exacte observet, nec pro lubitu, suo capru,
præjudicante phantasia, ac suspecta dispensatione negligat, aut
perperam interpretetur, subinde etiam curam gerat, ne alieno &
inconvenienti ministerio ac adjumento salubres methodi, scopi &
functiones corrumpantur, impediuntur & intercipientur, hocque
modo rectius triplex illa obedientia, Medici quippe, erga ægrum,
hujus erga illum, utrorumque erga ministrantium officia, ac ho-
rum singulorum obtemperantem respectum ad Medicum, Ægro-
tantem & præsentem Morbum, præsterur. Igitur medici artifi-
cioso suo officio non servi & mancipia, nec parafiti & adulatores
esse debent, tamen suis legibus, præceptis & mandatis prudenter
utantur. De consuetudine veterum Imperatorum, constituendi
Archiatros, refert CASSIODORUS *Lib. 6. c. 19.* formam vocationis
allegans: *dicebant Archiatro indulge nostro Palatio, habeto fidu-
ciam ingrediendi, fas est tibi nos fatigare jejuniis, fas est contra
nostrum sentire desiderium.* Quomodo igitur in foro & munere
Medico dominium & obedientia rite exerceri debeant, præsentem
Inaugurali Specimine TU PRÆSTANTISSIME DOMINE
CANDIDATE quadantenus ingenue indicasti. Stadium enim
Academicum triennali termino strenuo studio nunc feliciter per-
curristi, inque honesto hoc conatu laudanda aliisque probanda
& commendanda industria, quippe fideli Patre orbatu orphanus,
sub dura & angusta temporalium donorum necessitate & vicissitu-
dine modesta, insuper tranquilla ac bene morata vita profectus
in Foro Medico laude & approbatione dignos acquisivisti, quos
sub solitis Examibus Facultati nostræ ingenue aperuisti, præ-
terea in ædibus meis per annum temporis spatium bene ordina-
to, honesto & quieto vivendi genere museo usus es, ut propterea
maturus Officium Praxeos publicum aggredi possis, ad quod mo-

re

re modoque legitimo suscipiendum inclyta Facultas, unde uber-
rima salutaria dogmata assidue excepisti, dignum Te judicavit, ut
immunitatibus Doctoralibus annexisve juribus solenni disputa-
torio actu instruaris: de quo nunc benevolo & sincero animi af-
fectu Tibi gratulabunda aeclamo vota, proinde ad prosperum
honestorum negotiorum successum, sub firma ac salva sanitate,
felices decursus apprecor. Vale dab. IIX. Iduum Aprilis,
A. R. S. MDCCLII.

Monsieur

Mon très cher & tr's honoré Ami,

PArmi tous les dons, dont le tout puissant rend heureux les
mortels, l'amitié tient sans doute le premier rang. Un ami
seroit ce un grand bien de cette vie, & préférable encore a tous
les autres biens, qui peuvent être souhaités? Combien de faus-
seté regne parmi nos prétendus amis, & combien de plaintes, de
lamentation, & de regret parmi ceux qui s'appellent ainsi? Ce
doux nom d'amitié trompe & aveugle beaucoup de gens, & laisse
un très violent & tres dangereux venin après lui. C'est urai, &
sur tout, en regardant le tems, qui se passe dans l'université, l'on
doit avouer, que plusieurs, & peut-être la plûpart des jeunes
gens se corrompent, par les moeurs, & les mauvoises manieres
de vie, qu'y sont souvent introduites, & qu'ils y fondent leur
ruine où ils devoient établir leur bonheur. Mais ce ne merite
pas aussi le nom d'amitié. Je parle de celle, qui est fondée
sur la urai vertu, & qui a pour but & pour objet, la pratique de
tout ce qui est veritablement beau & juste, & la correction de
l'esprit & des manieres. Et j'en juge qu'elle procure & fortifie
le repos & le bonheur des hommes. Comme un tel ami,
j'estime encore aujourd'hui la bonne familiarité, que nous avon
toûjours entretenue & me je réjouis avec vous sur le doux
fruit, que vous montrez de votre continuelle diligence, &
grand travail, & sur l'honneur & le privilège que vous obtenez
présentement par votre mérite. Croyez que personne ne
vous estimera ne vous aimera plus que je fais

Votre

à Halle ce 26 Mars 1752.

très sincere ami & très fidèle serviteur
Sam. Christ. Jahn, Etud. en Theolog.




01 A 6597

ULB Halle
003 092 429

3







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**VOTO OBEDIENTIAE
MEDICO,**

Von der geziemenden Folgsamkeit in der Medicin;

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE
DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO SENIORE, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, ALUMNORUM REGIORUM
EPHORO SENIORE ORDIN. MEDIC. H. T. DECANO,
FACULT. MEDICÆ SENIORE, DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino Patrono, Præceptore, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDIS,
ANNO MDCCLII. D. APRIL.
HORIS LOCOQUE CONSVETIS
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET
RESPONDENS
CHRISTIANUS GOTTHULD STOLZENBERG,
MEGAWENDA - HOHENSTEINENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.